

No. 102

52

DISSERTATIO IURIDICA

DE

SOLUTIONE NOMINUM
SOCIETATIS EX COMMUNI
PRAE ALIIS SOCII OBAERATI
DEBITIS

QVAM

ILLVSTRIS IURECONSULTORVM ORDINIS

AUCTORITATE

PRAESIDE

AVGVSTO FRIDERICO SIGISMVNDO

GREENIO

IURIS VTRIVSQUE DOCTORE SUPREMAE CVRIAE

PROVINCIALIS ATQVE CONSISTORII ECCLESIASTICI

SAXONICI ELECTORALIS ADVOCATO

DIE XXVII. SEPTEMBR. ANNO MDCCCCLXIX.

H. L. Q. G.

DEFENDET

GEORGIUS FRIDERICVS SIGISMVNDVS

GREENIVS

MISENA MISNICVS.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

Diss. jur. civ.

480,24

16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100



Q. D. B. V.

§. I.



Concurfus creditorum femper diffoluit focietatem.

Concurfus creditorum et hodierno iure quo
dammodo morti comparari potefl. Licet
enim per flebile et miserabile illud, vt merito
in ipsis legibus vocatur, ceflionis bonorum
beneficium fama debitoris obaerati confultum fit, ^{a)} et ad
pinguiorem fortunam peruenire poffit, qui foro ceflit; ^{b)}
refpectu tamen bonorum, quae tempore emergentis con-
curfus poffedit, mortuo efl fimillimus, cuius exhausta he-
reditas ad creditores heredes deuoluitur. Hinc contractus,
qui bonorum adminiftrationem refpiciunt, nec tamen ob
electam perfonae induftriam ad heredes tranfeunt, per cre-
ditorum

A 2

a) l. 7. 8. C. qui bon. ced. poff.

b) §. vlt. I. d. aet. d. l. 7.



ditorum concursum, mortis ad instar, quae omnia soluit, videmus dissolui. Inter eiusmodi negotia potissimum referenda est societas priuata, quae, cum ad personas contrahentium sit restricta, ^{c)} et sine rebus in commune collatis cogitari non possit, eueniente concursu merito cessabit, quia tunc res nullae relinquuntur, ^{d)} et in locum sociorum alii, nempe creditores, succedunt. ^{e)} Idque vniuersaliter verum est, non tantum, si socii coniunctim non soluendo existunt, sed et, si vnus ex sociis foro cessit. ^{f)} An vero illud quoque procedat eo casu, quo socius, qui operam tantum contulit, bona salua ciuitate amisit, dubitari posset. Negat hoc cum plurimis VINNIVS, ^{g)} et ratio quidem in promptu esse videtur, quia nihil in societatem contulit, quod a creditoribus reuocari posset. Sed contrarium verius videtur. Quamuis enim nihil contulit socius, tamen ex natura societatis lucri et damni erit participes, quod prius creditoribus est communicandum, posterius vero ab iisdem refundi debet. Et quamuis tanta sit industria socii, vt plus societati conferat, quam pecunia, et ideo nullam partem damni sentiat, ^{h)} lucri tamen partes constituendae et creditoribus tradendae erunt, quod absque dissolutione societatis fieri nequit. Eo igitur quoque casu,

c) l. 59. D. pro soc.

d) l. 63. §. 10. D. pro soc. §. 8. Instit. de societate.

e) §. 7. l. d. soc.

f) d. §. 8. l. d. t.

g) VINNIVS Inst. ad d. §. 8.

h) l. 29. §. 1. D. pro socio.



casu, quo socius fallens operam tantum contulit, societas distrahitur, et si adhuc consentiant in societatem socii, noua videtur incipere societas. ⁱ⁾

§. II.

Status controuersiae proponitur.

Dissoluta vero per cessionem bonorum, a socio factam, societate, saepissime euenire solet, vt creditores eius res communes societatis, vel saltem partem debitoris, nullo deducto aere alieno, ad massam concursus trahere operam dent, creditores vero societatis etiam eo remittendos esse, ibique ex massa concursus, inter alios debitoris creditores, solutionem expectare debere, praetendant: cum e contrario socius et creditores societatis separationem bonorum instituendam esse, et debita, intuitu societatis contracta, prae aliis socii debitis, ex communi solui debere, vrgeant. Et hanc quidem disceptationem haud de lana caprina, sed maximi momenti esse, res ipsa docet. Multum enim differt, an socius et creditores societatis credita sua ex communi consequantur, an pro parte socii, bonis lapsi, ad eius concursum remittantur? cum priori casu bona societatis ad eorum solutionem sufficere possint, posteriori vero alii creditores ex rebus societatis solutionem accipiant, vel saltem illas participient, creditoribus societatis vix minima parte relicta. Propositum itaque est, de ista controuersia in praesenti agere, et in quaestionem inquirere: An debita,

A 3

intuitu

i) §. 8. I. d. soc.



intuitu societatis contracta, socio foro cedente, ex communi sint soluenda? an ad massam concursus sint remittenda?

§. III.

Rationes pro posteriori sententia: Concursus creditorum est iudicium vniuersale.

Posterior quidem sententia, quod etiam pars bonorum, quae debitori ex societate obuenit, ad concursum sit trahenda, neque de ea prius aes alienum, in societate contractum, deduci possit, sed creditores societatis, eius intuitu, ad forum concursus, tanquam iudicium vniuersale, in quo omnes actiones concurrunt, sint remittendi, ipsam iuris dispositionem et analogiam prae se ferre videtur. Per cessionem enim bonorum omnia bona debitoris, vbiunque sita et quocunque modo parta, creditoribus relinquuntur, ^{a)} et omnes creditores ad forum concursus, tanquam ad vniuersale iudicium, vocati censentur, omnesque particulares exactio- nes cessant. Nec iure nostro aes alienum, certo loco, vel intuitu certarum rerum, contractum, adeo afficit bona istius loci et res, quarum causa contractum est, vt a reliquis bonis separari possint, sed totum patrimonium minuit, *cum non loci sit aes alienum, sed vniuersarum facultatum: aes enim alienum totum patrimonium iuiminuere constitit, non certi loci facultates*, teste VLPIANO. ^{b)} Nihil itaque huic legis dispositioni magis conuenire videtur, quam vt bona, in societate acquisita, nullo detracto aere alieno, ad massam
concur-

a) a. l. 6. D. d. cess. bon.

b) l. 50. §. 1. D. d. iudic.



concurfus trahantur, et creditores societatis ad forum concurfus remittantur, ibique solutionem inter alios focii creditores expectent. ^{c)}

§. IV.

Dubium ex l. 5. §. 15. 16. D. d. tribut. act. petitum, remouetur.

Nec exceptionem ab ista regula intuitu mercium et tabernarum facere videtur idem VLP IANVS ^{a)} verbis: *Seruus duas negationes exercebat, puta sagariam et linteariam et separatos habuit creditores? Puto separatim eos in tributum vocari: vnusquisque enim eorum merci magis, quam ipsi credidit. Sed si duas tabernas eiusmodi negotiationis exercuit, et ego fui tabernae (verbi gratia) quam ad Hucinum habuit, ratiocinator, alius eius, quam trans Tiberim: aequissimum puto, separatim tributionem esse faciendam: ne ex alterius re merceue alii indemnes fiant, alii damnum sentiant. Ex qua quidem lege pronò alueo fluere videtur, eum, qui ratione negotiationis aut tabernae cuiusdam credidit, in mercibus eo spectantibus praeferrí aliis creditoribus, quare ea, quae lex de seruis praecipit, ob similitudinem rationis, ad liberos homines a Dd. applicantur, ^{b)} et SALGADO de SAMOZA, creditoribus societatis separationem et praelationem prae aliis focii creditoribus tribuens, probationem*

senten-

c) B. SIEGEL diss. de creditoribus societatis, priuatis focii creditoribus non praefereendis. Lips. 1725. hab.

a) l. 5. §. 15. 16. D. d. tributor. act.

b) STRVV. Exerc. XX. Th. 46. ibique cit. Dd.



sententiae potissimum super illam legem struit. ^{c)} Sed si principalem legis rationem consideramus, statim patet, eam ad liberos homines haud esse trahendam. Ratio enim, quia merci magis, quam ipsi credidit, ad statum seruorum respicit, qui de iure ciuili habentur pro nullis, vt in illos nulla cadat obligatio, ^{d)} vnde qui cum illis negotiantibus contrahit, magis merci, quam personae credere dicitur, quod secus est in personis liberis, cum quibus qui contrahit, non illorum bonis, sed personis credere videtur, et quorum obligatio non certa illorum respicit bona, sed totum, vt §pho praec, demonstrauius, minuit patrimonium. ^{e)} Cui sententiae et STRVIVS, qui in loco supra citato contrariam probare videtur, post, reiecta illa, subscripsit, et ea commotus, creditoribus vnius tabernae separationis beneficium denegauit. ^{f)}

§. V.

Sociis et creditoribus societatis ius tacitae hypothecae non competit.

Alio quidem argumento vtuntur Dd. qui debitis, intuitu societatis contractis, praerogatiuam prae aliis concedunt, ^{a)} quippe sociis tacitam hypothecam, imo ius quoddam

c) SALGADO DE SAMOZA Labyrinth. creditor. concurr. P. I. C. 9. n. 50. sqq.

d) l. 22. 32. D. d. Reg. iur.

e) GROENEWEGEN de legibus abrogatis ad l. 5. §. 15. 16. de tribut. act.

LAVTERBACH diss. de Soc. obligat. C. VI. §. 57.

f) STRVV. Exerc. XLIV. Th. 66.

a) BEVTHER de Concurfu cred. Cap. 64. CARPZ. Decis. 54. n. 9. 10. 11. 12.



dam praelationis, tribuentes, quo aliis focii creditoribus praeferantur, in bonis ad societatem spectantibus. In cuius rei probationem partim ad leges prouocant, quae vxori ratione dotis, aliisque creditoribus tale pignus tacitum largiuntur, ^{b)} quam legum dispositionem ad socios extendunt, partim asserunt, consanguineis in iure nostro prioritatis ius prae extraneis creditoribus competere, ^{c)} quod itidem in fociiis locum habere debeat, cum societas ius quoddam fraternitatis in se habeat. ^{d)} Verum nec haec argumentandi ratio satis fundata videtur. Argumentum enim, quod ab aliis tacitis hypothecis ducitur, fallit, cum hypotheca legalis sine expressa legum dispositione ex opinionibus Dd. induci nequeat, ^{e)} et leges, quas pro prioritatis iure, consanguineis competente, adducunt, de eiusmodi iure plane non agere, sed creditoribus cognatis ius quoddam protimiseos in bonis debitoris, quae auctoris lege veneunt, tantummodo concedere, vel ex inspectione earum patet. ^{f)}

§. VI.

Prior sententia, quae nominibus societatis praerogatiuam concedit, proponitur.

Licet vero ita se res habeat, non desunt tamen argumenta, quibus opinio eorum, qui debitis, intuitu societatis

b) l. 12. C. qui potior. in pign. l. 1. 2. 3. D. quib. caus. pign. vel hyp. tac. contr.

c) l. 16. D. d. reb. auct. iud. poss. l. 60. D. d. pact.

d) l. 63. pr. D. pro soc.

e) CARPZ. P. I. C. 28. d. 118. n. 4.

f) d. l. 16. et l. 60.



tis contractis, praerogativam prae aliis focii debitis tribuunt, in rebus, ad societatem pertinentibus, innititur. Sed iterum inter se dissentiunt Dd. CASTRENSIS ^{a)} enim, FELICIVS, ^{b)} SALGADO, ^{c)} BEVTHERVVS, ^{d)} et alii, ab iisdem laudati, hanc praerogativam debitis sociabilibus pure concedunt, quibus accedere non dubitavit CARPZOVIVS, ^{e)} remque duobus praeiudiciis illustrat. MENKENIVS ^{f)} quoque eandem defendit opinionem, et duo Facultatis Iuridicae Lipsi. responsa allegat. LEYSERVS ^{g)} vero hanc sententiam, etsi ex legibus eandem deduci posse dubitet, tamen aequam et extricandis infinitis litibus aptam, atque in foro receptam dicit. HORNIVS ^{h)} e contrario inter fortem et lucrum distinguit, et in hoc praerogativam creditorum societatis admittit, illam vero ad massam concursus refert.

§. VII.

I.) *Probatur haec sententia ex legibus.*

Et nobis quidem communis illa Dd. opinio, qua socio et creditoribus societatis, in rebus societatis praerogativa

con-

a) CASTRENS. Lib. 2. Conf. 345.

b) FELICIVS de societate Cap. 31. n. 24.

c) SALGADO in Labyrintho creditorum concurr. L. 1. C. 9. n. 48. sequ.

d) BEVTHEK de iur. praelat. Lib. I. c. 64.

e) CARPZ. Decif. illustr. Decif. 54.

f) MENCKEN Pandect. L. XVII. T. 2. §. 8.

g) LEYSER Med. ad Pand. Spec. 185. in f.

h) HORNII Responsa Classe XI. Resp. 83.



conceditur, sine distinctione inter sortem et lucrum, non modo legibus non repugnare, sed et optime illis conuenire videtur, certis solum casibus, qui infra adducuntur, exceptis. Ait enim PAVLVS: ^{a)} *Omne aes alienum, quod manente societate contractum est, de communi soluendum est: licet posteaquam societas distracta est, solutum sit: igitur etsi sub conditione promiserat, et distracta societate conditio extitit, ex communi soluendum est, ideoque, si interim societas dirimatur, cautiones interponendae sunt.* Idem porro dicit: ^{b)} *Si socii sumus, et vnus ex die pecuniam debeat, et diuidatur societas: non debet hoc deducere socius, quemadmodum praesens debet, sed omnes diuidere et cauere, si dies venerit, defensurum iri socium.* Adest et tertium eiusdem effatum: ^{c)} *Sed nec aes alienum, nisi, quod ex quaestu pendeat, veniet in rationem societatis.* In quibus legibus generaliter dispositum est, omne aes alienum, manente societate, et eius intuitu contractum, de communi soluendum esse, et quidem, si tempore distractae societatis pure debeatur, deduci debere, si vero sub conditione, vel ex die debeatur, interpositis cautionibus prospici, nec alienis nominibus societatem grauari debere, sed illorum solum rationem habendam esse, quae ex quaestu pendent, siue quae quaestus, hoc est, societatis causa, contracta sunt. Si autem omne aes alienum societatis ex communi soluendum est, non potest non eo casu, quo socius bonis cessit, separatio inter creditores eius institui,

a) l. 27. D. pro socio.

b) l. 28. D. eod.

c) l. 12. D. eod.



institui, vt qui societati crediderunt, ex rebus societatis suum consequantur, prae aliis, qui extra societatem crediderunt. Alias enim, si creditores societatis ad socii concursum traherentur, aes alienum societatis non ex communi solueretur, et praeterea aes alienum socii, quod extra societatem contraxit, contra intentionem legum in locum eius, quod ex quaestu pendet, succederet.

§. VIII.

II.) *Probatur ex natura contractus societatis.*

Neque haec doctrina pro anomala haberi potest, cum potius ex ipsa natura contractus societatis deriuari debeat. Socius enim sortem ea lege in societatem intulit, vt ea, quae quaestus causa erogari necessitas postulat, ex illa soluantur, et vt finita societate id tantum ad eum redeat, quod deducto aere alieno superest. Cum enim quaestus seu lucri causa ineatur societas, lucrum vero non intelligatur, nisi omni damno deducto, vti nec damnum, nisi omni lucro deducto, ^{a)} facile patet, non posse quicquam lucri nomine ad socium peruenire, nisi deducto prius aere alieno: et cum ea mente inferatur fors, vt acquirendi quaestus seu lucri causa consumatur, recte infertur, in casu, quo adeo aere alieno premitur societas, vt nec lucrum ei satisfaciendo sufficiat, ipsam sortem affici, neque tunc plus sortis in societate socio superesse, ab eoque finita societate repeti posse, quam, quatenus aes alienum societatis excedit, ea enim
solum-

a) l. 30. D. pro soc.



solummodo bona intelliguntur cuiusque, quae deducto aere alieno superfunt. ^{b)}

§. IX.

III.) *Aequalitas inter socios id postulat.*

Idem quoque aequalitatis ratio, quae tamen in societate prima lex est, postulare videtur. Quanta enim cura omnem inaequalitatem inter socios evitent leges nostrae, vel ex VLPIANO patet, ^{a)} qui statuit, *si ex tribus sociis, unus partem suam integram a socio consecutus sit, alter vero partem suam integram consequi haud possit, quia facere solidum non potest, tunc, qui solidum accepit, licet pleno iure consecutus sit, nihilominus tamen ad communicandas et ita aequandas partes obligari, quia iniquum sit, ex eadem societate alium plus, alium minus consequi.* Aequas igitur semper partes inter socios constitui praecipiunt, ^{b)} et insuper, *iure societatis, per socium aere alieno socium non obligari, nisi in communem arcam pecuniae versae sint,* ^{c)} docent. Sine dubio vero dispar conditio sociorum foret, si pars bonorum societatis ad massam concursus alterius socii traheretur, et socius intuitu eorum, quae durante societate impendit, cum creditoribus socii extraneis conflare necessum haberet, cum ipse e contrario aes alienum societatis, pro sua parte, in fauorem socii, ex communi refundere obligatus sit. ^{d)} Et re-

B 3

uera

b) l. 39. §. 1. D. d. verb. sign.

a) l. 63. §. 5. D. pro soc.

b) l. 29. pr. D. eod.

c) l. 82. D. eod.

d) l. 27. D. eod.



uera socius aere alieno socii grauaretur, siue casum supponas, quo ipse spe, impensas, in res communes factas, damnumque earum causa perpeffum, recuperandi, frustratur, siue alii societatis creditores adsint, quibus necessitas, ius suum in foro concursus vnus socii prosequendi, imponatur.

§. X.

Socius iure ciuili interdum, moribus Saxonum, semper, in solidum obligatur.

Nam iure communi quidem socii non semper tenentur in solidum, et distinctio locum habet inter casum, quo omnes socii simul, et eum, quo per vnum contraxerunt, eo effectu, vt priori casu, quando scilicet omnes socii communi consensu cum extraneo contrahunt, singuli pro sua tantum parte, quam in societate habent, obligati sint. ^{a)} Quae sententia in legibus satis fundata videtur. Licet enim dubitari, possit, an lex, quam pro illa allegant, Dd. vbi **U L P I A N V S**: ^{b)} *Si plures per se nauem exerceant, eos proportionibus exercitationis conueniri, dicit, ad societatem trahenda sit, nec constet, an exercitores isti socii fuerint, an nauem communem, citra intentionem ineundae societatis, exercuerint, cum etiam citra societatem communiter res agi possit: vt puta, cum non affectione societatis indidimus in communionem, quod euenit in re duobus legata, item si a duobus*
simul

a) **LAVTERBACH**, diss. de socior. obligatione ex conuentione cum extraneis inita. Cap. 4. §. 34. Cap. 3. §. 19. 23. Cap. 6. §. 55.
LEYSER Spec. 185. Med. 6.

b) l. 4. D. d. exerc. act.

simul emta res fit etc. c) quod et de altera lege, quam com-
 muniter adducunt, d) dicendum videtur; occurrit tamen
 PAVLVS, qui expressis verbis docet, eo casu, quo quis cum
 omnibus contraxit sociis, in regula *actionem ex emto eum
 singuls esse pro portione, qua socii fuerunt.* e) Intuitu eius-
 modi nominum societatis igitur, quae a singulis sociis pro-
 rata soluenda sunt, nullum damnum incurrere videtur so-
 cius, licet creditores pro rata socii ad eius concursum re-
 mittantur. Sed restat alter casus, vbi socii per socium, aut
 alium, quem vel expresso, vel tacito mandato negotio prae-
 posuerunt, celebrarunt contractum, et constat, ex eius-
 modi contractu, societatis nomine per vnum celebrato,
 quemlibet sociorum in solidum obligari, ex euidenti aequi-
 tatis ratione, *ne in plures aduersarios distinguatur, qui cum
 vno contraxit.* f) Nec dubium est, quin socius, in soli-
 dum obligatus, etiam vltra partem teneatur, quam in socie-
 tate habet, ita, vt debita societatis et de bonis, quae extra
 societatem sunt, exsolui debeant, cum obligatio ista in soli-
 dum in legibus generaliter fit constituta, neque ad bona
 socialia fit restricta, g) et e contrario PAVLVS expresse tra-
 dat, nihil hic facere quotam quisque portionem in naui, et
 sic

c) l. 31. D. pro soc.

d) l. 11. §. 2. D. d. duob. reis.

e) l. 44. §. 1. D. de aedit. edicto LEYSER l. c.

f) l. 13. §. 2. D. de instit. act. l. 27. §. 8. D. d. peculio, j. l. 2. D.
 d. exerc. act. LAUTERB. LEYSER cit. loc.

g) l. 1. l. 4. §. 1. D. d. exerc. act. d. l. 13. §. 2. D. d. inst. act. l.
 27. §. 8. D. d. pecul.



fic in societatis communione, habeat. ^{h)} De eo vero valde dubitant Dd. an focius etiam tunc teneatur in solidum, si reliqui focii non sint soluendo? Negat hoc cum aliis plurimis LAVTERBACHIVS, ⁱ⁾ ob verba PAULI: ^{k)} *Certe ubicunque actio societatis vel communi diuidundo cessat, quemque pro parte sua condemnari oportere constat.* Ex qua lege inferunt, non teneri focium in solidum, quoties dictae actiones ob inopiam focii inanes sint, quia tunc reuera cessare videantur illae actiones, non minus, ac si iure non competere. Mihi vero haec sententia ex lege adducta probari haud videtur. Ictus enim, cum docuisset, socios ex negotio alieni serui, communi merci praepositi, in solidum obligari, et quod quisque praestiterit, eius partem, societatis, et communi diuidundo iudicio consequi, hanc obligationem in solidum ex facto tertii, ad solos focios et eos, inter quos communio intercedit, restringit, atque criterium addit, *ubicunque actio societatis vel communi diuidundo cessat, quemque pro sua parte tantum condemnari oportere*, et insuper rem casu illustrat, *si is, cuius seruo creditum est, duobus heredibus institutis, ei seruo libertatem dederit, et dicit, heredum quemque pro sua parte conueniendos esse, quia cessat inter*

h) l. 3. D. d. exerc. act. LAVTERBACH. d. diss. d. Obl. soc. Cap. 6. §. 57. Diss. Mantica de tacitis conuentionibus. Lib. 6. T. 22. n. 8. aliique.

i) LAVTERB. d. diss. Cap. 3. §. 25. ANTON. FABER in ration. ad l. 3. D. d. exerc. act. l. 13. §. f. l. 14. D. d. inst. act.

k) l. 14. D. d. inst. act.



ter eos communi diuidundo iudicium. ^{l)} Cessat enim hoc casu inter coheredes communio, *cum ea, quae in nominibus sunt, ipso iure in portiones hereditarias ex lege duodecim tabularum sint diuisa.* ^{m)} Nihil aliud itaque illa lege perhibetur, quam quod obligatio in solidum ex alterius facto non nisi in societate vel communione locum obtineat, et quod cesset, quoties actiones pro socio, vel communi diuidundo, iure non competant, hoc est, quoties nulla intercedat societatis communio. Non itaque ob defectum actionis ab obligatione in solidum immunes dicuntur, qui communionis vinculo haud coniuncti sunt, sed ex ipsa rei natura hoc fuit, quia ratio deest, cur ii, qui ipso iure separati sunt, pro se inuicem in solidum teneantur. Nec potest dici, Paulum ideo reliquos ab obligatione in solidum liberasse, et dictarum actionum mentionem fecisse, quia illi, quibus dictae actiones pro socio et communi diuidundo non competunt, indemnes praestari non possent, cum notum sit, et heredi, qui, citra iuris obligationem, solidum, et ita pro, coherede pecuniam soluit, satis prospectum esse, eumque negotiorum gestorum actione experiri posse. ⁿ⁾ Iam vero casus, quo actio competens ob inopiam socii fit inanis, cum eo casu, quo ex iuris ratione plane non competit actio, comparari non potest, cum potius is, qui actionem habet ad rem recuperandam, iure nostro ipsam rem habere videatur,

l) d. l. 14.

m) l. 6. C. fam. herc.

n) l. 3. C. de negot. gest.



tur, o) licet re ipsa minus sit, actionem habere, quam rem. p) Constat itaque, iure communi socium interdum obligari in solidum, eumque etiam ultra partem, quam in societate habet, teneri, nec solui hanc obligationem, si alter socius ad inopiam vergat.

In Saxonia vero per consuetudinem introductum est, ut focii semper in solidum obligentur, neque exceptioni divisionis locus sit, q) quod etiam asserit WERNHERVS, r) quamvis ipse postea in partes aduersas transeat. Quae consuetudo et moribus mercatorum probari videtur, quibus partes, quas quisque in societate habet, creditoribus societatis haud innotescunt, sed potius, uti ipse contractus societatis, libro secretiori, vulgo *dem Geheimbuch*, insertae, ad arcana societatis referuntur, ita ut iure easdem ignoret creditor, quam rationem reddit Ill. HOMMELIUS. s)

§. XI.

IV) *Socius debita Socii solueret, et creditores extranei cum eius damno redderentur locupletiores.*

Siue igitur secundum iuris ciuilibus principia, siue secundum illam Saxonum consuetudinem rem consideres, maximum

o) l. 15. D. d. Reg. Iur.

p) l. 204. D. eod.

q) CARPZ. P. II. Const. 17. d. 12. BERGER. Oec. Iur. L. III. T. 5. §. 32. n. 5. MENCKEN. Pand. Lib. XVII. T. 2. §. 19. LEXSER Spec. 185. Med. 6.

r) WERNHER P. III. Obs. 79. P. IV. Obs. 16.

s) Ill. HOMMELII Rhapsodia Obs. 336.



ximum semper damnum incurreret socius, tum intuitu eius, quod ipse durante societate impendit, tum intuitu aliorum societatis creditorum, si istis pars bonorum, quam socius in societate habuit, subtraheretur, ipsique ad forum concursus remitterentur, cum socius illo iure certis casibus, iure vero nostro, per consuetudinem introducto, semper in solidum obligatus sit, et id, quod creditoribus deest, supplere necesse habeat. Nam re ipsa aes alienum socii extra societatem contractum, ex quaestu communi refundetur, et socius debita societatis solus de suo soluere cogetur, creditores vero extranei, res societatis sine onere ad se trahentes, cum damno socii locupletiores redderentur, vtrumque contra intentionem legum, naturam societatis, et aequitatis rationem. Nec potest obiici, socium sibi ipsi imputare debere, quod non curatius in conditionem eius inquisiuerit, quem sibi socium elegerit, cum obtentu huius dieterii a socio plus exigi haud possit, quam ipsa natura contractus et ratio legum desiderat.

§. XII.

Dubium ex §. III. remouetur. Res societatis sunt quodammodo alienae.

Nec obstat, quod supra §. III. diximus, ad massam concursus omnia bona debitoris esse trahenda, omnesque eius creditores in foro concursus, tanquam vniuersali iudicio, ius suum persequi debere, nam valet hoc solummodo de bonis debitoris propriis, et de creditoribus, quibus



ipse in specie obligatus est. Caeterum notum est, res alienas, inter bona debitoris repertas, ad eius concursum haud spectare, sed a bonis debitoris separandas, et eorum dominis, res suas vindicantibus, restituendas esse. ^{a)} Iam vero constat, res in commune collatas, pro alienis habendas esse. Ita enim per collationem socio communicatur dominium, ut in omnibus rei partibus eidem competat. ^{b)} Hinc furtum in re communi committi potest a socio, et socio competit actio furti contra socium, ^{c)} certissimo iudicio, quod res communes inter res proprias referri nequeant, in rebus enim propriis furtum non committitur. ^{d)} Et si socius partem suam alienavit, alter socius hanc partem etiam apud eum, in quem alienatio facta est, persequitur iudicio communi diuidendo, ^{e)} quod vindicationis species est. Rerum vero istarum communium plenum dominium non aliter redit ad socium, quam diuisione cum voluntate socii instituta, et in societate particulari, de qua hic nobis sermo est, accedente retraditione, a socio facta, ^{f)} cum nihil tam naturale sit, quam ut res eodem modo dissoluatur, quo

a) l. 38. pr. D. d. pecul. l. 1. C. d. priu. Fisci Nou. 91. C. 1.

CARPZ. P. I. C. 28. d. 13. Ord. Proc. Sax. Rec. ad T. 41. §. 1.

b) l. 7. §. 8. D. d. acquir. rer. dom.

c) l. 45. D. d. furt. l. 45. 46. 51. pro soc.

d) l. 48. §. 2. D. d. furt. §. 1. l. d. obl. qu. ex del.

e) l. 1. C. comm. diu. Voet. ad Pand. Lib. XI. T. 3. §. 3.

f) Felic. d. societate Cap. 39. n. 110.

quo coaluit, dominium vero rerum singularium, et sic quoque partis bonorum, in societatem particularem collatae, non nisi per actualem traditionem in alterum transeat. ^{g)} Hac vero diuisione instituta, partes focii obaerati aliter non constituuntur, quam deducto aere alieno, quod in praesenti debetur, vel cuius dies venit. Expresse enim in lege dicitur, quod socius praesens aes alienum deducere debeat. ^{h)} Ipso iure itaque minuitur pars focii aere alieno, et impensis in res communes factis, et compensationi locus est. Nec tollitur hoc compensationis ius per concursum creditorum, sed et in illo, tanquam exceptio perpetua, locum habet, quod nouissime probauit, Ill. HOMMELIUS, ⁱ⁾ qui simul Rescriptum Elect. profert, quo et iuri retentionis in concursibus quodammodo locus relinquitur. Ea vero nomina, quae sub conditione, vel in diem debentur, non statim deducuntur, sed ratione eorum cautio interponenda est, *cum dies venerit, defensurum iri socium.* ^{k)} Quae cautio, cum eum in finem praestetur, ut socius securus reddatur, non iniquum videtur, certam pecuniae, ex societate ad socium peruenientis, summam eo fine deponi, ut veniente die solutionis, inde pars focii obaerati solui possit.

C 3

§. XIII.

g) a. l. 50. D. d. rei vind. Felic. Cap. 9. n. 44.

h) l. 28. D. pr. soc.

i) Ill. HOMMELII Rhaps. Obs. 378.

k) l. 28. D. pro soc.



§. XIII.

Intuitu hypothecariorum creditorum socii distinctioni locus est.

Sed his, quae diximus, potissimum obiicitur, quod ii, quibus hypotheca tacita in omnibus socii bonis competit, veluti vxor, pupilli, aliique, in forte saltem praeferendi sint socio, ^{a)} quia scilicet fors remansisse videtur in bonis inferentis, et ipsa refertur ad debita societatis, in libris societatis, *es wird ihm gut geschrieben*. Nos vero hanc rem distinctione decidendam esse putamus, inter nomina pura, et ea, quae ex die pendent, vel sub conditione debentur. Pura enim per compensationem ipso iure extinguunt fortem, ita, vt nihil amplius adsit, quod ad creditores hypothecarios peruenire possit, ad instar aliorum nominum, quorum intuitu debitori exceptio compensationis competit, illeque totum soluere haud cogatur, licet creditores hypothecarii adsint, qui ius in iis nominibus praetendant. Ad illos enim plus peruenire non potest, quam tempore concursus moti extat, nomen vero per compensationem ipso iure minuitur. Intuitu vero illorum debitorum, quae ex die pendent, vel sub conditione debentur, omnino crederem, potiores esse hypothecarios socii creditores, altero socio ratione fortis, quia tunc compensatio locum non habet, eosque intuitu cautionis, quam §pho praec. exegimus, si salua forte fieri haud possit, praeferendos esse socio,

a) HORN. Cl. XI, Resp. 83. B. SIEGEL in cit. diff.



focio, ita vt ille loco cautionis plus fortis exigere haud possit, ac de ea, solutis debitis hypothecariis, superest, et si nihil superest, cum aliis focii creditoribus in focii concursu ius suum persequi debeat, sibi que ipsi imputet, quod non curatius in conditionem focii inquisiuerit.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.



Main body of faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the document.

